Christiani Risii ão 97. d. 25. Junii

dum Bri[illegible]
ad 1686. 3. 7bris.

vide Dreieri diss. c.ª Pontificios de hac mat.ª aº 1649. editam p. 831.

CUM DEO!

DISPUTATIO DE UNIONE DUARUM IN CHRISTO NATURARUM,

Quam
Publico examini sistit

MARTINUS SILVESTER GRABE,
S. Theol. Lic. P. P. extraord.
& p. t. DECANUS,

Respondente

JOHANNE ZOLNERO,
Thorun. Borusso,

In Auditorio majori d. 5. April.
Anno cIↄ Iↄc LXIII.

REGIOMONTI,
Typis JOHANNIS REUSNERI, ELECT. ET
ACAD. TYPOGR.

VIRIS

Magnifico, Maximè Reverendo, Amplissimo atq; Excellentissimo

DN. CHRISTIANO DREIERO,

S.S Theol. D. celeberrimo, ejusdemq; Prof. primario, Sereniss. Electoris Brand: Concionatori Aulico Primario, & Consistorii Sambiens. adsessori gravissimo, Academiæ hujus p. t. RECTORI Magnifico;

UT ET

Magnifico, Nobilissimo, Amplissimo & Consultissimo

DN. JOHANNI SCHIMMELFENNINGIO, Supremi Borussorum Judicii Adsessori dignissimo, & Pro-Consuli Cniphoviano meritissimo;

NEC NON

Nobilissimis, Amplissimis, Consultissimis

DN. ERNESTO LICHTFUSSIO,

DN. GEORGIO ZIMMERMANNO,

Reipubl. Thorunens. CoSS. ejusdemq; à Cameræ Rationibus;

SIC ET

Spectatissimo & Famigeratissimo

DN. PETRO ZÖLLERO,

Laudatæ Reipubl. Civi ac Mercatori primario,

Respectivè Præceptori, Mœcenati, hospiti olim ac Cognatis, Fautoribus suis ac Promotoribus omni observantiâ venerandis,

In debiti cultûs testimonium, & ulteriorem sui studiorumq; suorum commendationem primitias hasce Academicas

D. D.

RESPONDENS,

I.

DUas Servatori nostro naturas esse, divinam scilicet & humanam, ubique, semper, & ab omnibus, h. e. catholicâ fide, creditum fuit, atque hîc extra controversiam supponitur. Eas verò ad unam personam, in ipso incarnationis momento, unitas fuisse, eádem fide credimus, & paucis, duce Deô, elucidabimus.

II. Unio in genere nihil aliud est, quàm duarum ad minimum rerum conjunctio. Vel, ut *Nicetas Choniates* l.3. thesaur. orth. fid. c.23. atque ante eum *Suidas* definit, *est διεστώτων πραγμάτων κοινωνικὴ συνδρομή*, *disjunctarum rerum sociabilis concursus*. Vulgò duplex constituitur. 1. *essentialis* seu *naturalis*, quando duæ naturæ seu essentiæ incompletæ, naturalem tamen respectum ad se invicem habentes, in unam essentiam completam & perfectam coalescunt. Talis unio est animæ & corporis in homine, & in universum formæ & materiæ, unde novum aliquod compositum enascitur. 2. *accidentalis*, quando vel accidentia conjunguntur subjectis, vel substantiæ substantiis, unde tamen non nisi forma accidentalis exsurgit. Hæc unio variis modis contingere potest, quorum præcipuos saltem, ad propositum nostrum facientes, recensebimus ex *Cyrillo Alexandrino* epist. 10. quæ est ad Nestorium de excommunicatione, Tom. 4. fol. 29. & *Johanne Damasceno* l. 3. orth. fid. c. 3.

III. Nimirum est unio accidentalis 1. *κατὰ φυρμὸν*, *secundùm massam*, quando ex aqua & farina fit panis. 2. *κατὰ σύγχυσιν*, *secundùm confusionem*, quando ex cera & pice conficitur unguentum, aut quando ex pluribus aromatum generibus nova quædam species producitur. 3. *κατὰ σύγκρασιν καὶ ἀνάκρασιν*, *secundùm commixtionem & temperamentum*, quando ex aqua & melle commistis ac temperatis fit hydromel. 4. *προσωπική*, *personalis*, quando persona jungitur personæ, quocunq; modô

& respectu; & complectitur subsequentes modos. 5. *κατὰ παράστασιν*, *secundùm assistentiam*, quomodo angelus assistebat Petro, Act. XII, 7. 6. *κατὰ σχέσιν*, sive *μέθεξιν σχετικήν*, *secundùm habitudinem*, sive *participationem relativam*, quomodo duo sunt in carne una, & qui Domino adhæret, unus Spiritus cum illo est, 1. Cor. VI, 16. 17. 7. *κατ᾽ ἀξίαν, αὐθεντίαν καὶ ὁμοτιμίαν*, *secundùm dignitatem, autoritatem & honoris æqualitatem*, quomodo Petrus & Johannes Apostoli unus fuerunt. 8. *κατὰ ταυτοβουλίαν καὶ εὐδοξίαν*, *secundùm consensum & beneplacitum*, quomodo credentium erat cor unum & anima una, Act. IV, 32. Deniq; 9. *καθ᾽ ὁμωνυμίαν*, *secundùm idem nomen*, quando ejusdem ordinis & conditionis personæ unò nomine appellantur.

IV. *Svidas* decem in universum unionis species enarrat, hac serie atq; explicatione: 1. *κατ᾽ οὐσίαν*, *essentiâ*, ut in animo & corpore. 2. *κατὰ σχέσιν*, *affectione*, ut in sententiis, quum una est voluntas. 3. *κατὰ παράθεσιν*, *appositione*, ut in tabulis. 4. *κατὰ ἁρμονίαν*, *coagmentatione*, ut in saxis. 5. *κατὰ κρᾶσιν*, *temperamentò*, ut in humidis, vino & aqua. 6. *κατὰ φύρσιν*, *mixtione*, ut in siccis & liquidis, farina & aqua. 7. *κατὰ σύγχυσιν*, *confusione*, ut in iis quæ liquescunt, cera & pice. 8. *κατὰ σωρείαν*, *coacervatione*, ut in siccis, frumento & hordeo. 9. *κατὰ συναλοιφήν*, *coalitione*, & 10. *κατὰ συναφήν*, *contactu*, ut in iis, quæ avelluntur & denuô restituuntur, sicut in face, quæ ex igne procedit, & rursum restituitur, videlicet quando accenditur, & in eundem vicissim conjicitur. Ita Svidas unitatis modos proponit. Eosdem ferè numerat *Nicetas* l. c. cap. 38. §. 10. & alios adhuc *Bernbardus* serm. 80. de diversis, Tom. 2. oper. edit. Jacobi Merloni Horstii f. 247. & l. 5. de consideratione ad Eugenium Papam c. 8. Tom. 4. f. 22.

V. Jam quinam ex declaratis modis huc applicari debeat aut possit, dispiciendum erit. Et quamvis ille, qui est *κατ᾽ οὐσίαν* & *κατὰ φύσιν*, h. e. essentialis & naturalis, omnium proximè ac-

mè accedat ad similitudinem unionis duarum in Christo naturarum, respectu termini à quo, ut Scholastici Theologi dicere amant, quatenus nimirum duæ distinctæ naturæ seu essentiæ ad unam Christi personam unitæ sunt; tamen per omnia non quadrat, quemadmodum ex dato exemplo liquidò apparet. Anima enim & corpus sunt duæ essentiæ incompletæ & imperfectæ: ast in Christo divina & humana naturæ sunt integræ & completæ. Illic partes unibiles naturali propensione ad unionis actum feruntur: hîc verò ejusmodi naturalis ad se invicem respectûs planè expertes fuêre; & quæ aliæ dissimilitudinis rationes allegari possunt, quas propter unio, quam impræsentiarum investigamus, *essentialis* sive *naturalis* vocari nequit.

VI. Nec turbare nos debet, quòd orthodoxi patres nonnunquam ita eam nuncupaverunt. Sic namq; *Athanasius* l. de incarnatione Domini nostri J. C. contra Apolinarium, Tom. I. f. 486. edit: Commelin. Græco-Lat: *Secundùm naturam* (κατὰ φύσιν) *caro illa Dei facta est, propria non consubstantialis deitati Verbi, quasi coæterna esset; sed quòd propria secundùm naturam* (κατὰ φύσιν) *facta sit, & indivisibilis ratione unionis.* Similiter *Gregorius Naz.* Orat. 51. quæ est epistola prima ad Cledonium, Tom. I. f. 739. edit. Paris. Græco-Lat: *Si quis* (divinitatem in Christo) *sicut in Propheta per gratiam inoperatam esse, non autem secundùm essentiam* (καθ' ὀυσίαν) *copulatam esse, & copulari dixerit, sit vacuus melioris operationis, imò contrariâ impleatur.* Eodem modo *Cyrillus* l. c. scribit: *Cùm sentimus, quòd* (Verbum) *caro factum sit, non ita, sicut in sanctis, habitare dicitur, & in Christo istam factam esse habitationem definimus*; ἀλλ' ἑνωθεὶς κατὰ φύσιν, *sed quòd secundùm naturam unitum: —— neque secundùm appositionem conjunctionis hujus modum intelligimus; etenim nec illa sufficit ad naturalem unitatem*, πρὸς ἕνωσιν φυσικήν. Et inter duodecim anathematismos anathem. 3. f. 33. *Si quis*, inquit, *in uno Christo dividit hypostases post unionem, solâ copulatione eas connectens, quæ est secun-*

dùm dignitatem, vel autoritatem, vel potestatem, & non eâ potiùs coitione, quæ est καθ' ἕνωσιν φυσικὴν, secundùm unionem naturalem, anathema sit. Anathematismi hi, unà cum allegata epistola ejusdem Cyrilli, in Concilio Ephesino I. œcumenico III. contra Nestorium, Constantinopolitanum Archiepiscopum, annô à natalibus Christi 431. Theodosiô Juniore imperante, celebrato approbati fuerunt, ut constat.

VII. Græcorum patrum linguam latini quoq; in sequentibus seculis imitati, & eadem phrasi usi sunt. Sic *Fulgentius*, Ruspensis in Africa Episcopus, circa seculum sextum, l. de incarnatione & gratia D. N. J. C. cap. 2. p. 651. disertè scribit, Deum *naturaliter* voluisse hominem esse. Verba ejus integra hæc sunt: *Semetipsum exinanivit, formam servi accipiens. In eo quippe Deus homo esse naturaliter voluit, & Dominus omnium rerum servilem naturam sine amissione propriæ dominationis assumsit, in quo servi formam misericorditer exinanitus accepit.* Eodem seculô *Joh. Maxentius*, Monachus & Antiochenus, ut creditur, Presbyter, in duodecim capitulis seu anathematismis cōtra Nestorianos, cap. 3. *Si quis*, ait, *non confitetur substantialem sive naturalem unitatem, secundùm id quod manens naturâ Deus Verbum naturæ est unitus; sed subsistentialem sive personalem dicit unitatem, aut secundùm illustrationem, sive secundùm dilectionem, aut secundùm affectionem, anathema sit.* Exstant hi anathematismi Tomò quartô magnæ bibliothecæ patrum, part. 1. f. 441. edit. nuperrimæ Parisiensis. Ita ergo doctores illi ecclesiæ, orientalis juxtà ac occidentalis, unionem hanc *naturalem* & *essentialem*, aut *naturaliter* factam dicere non reformidàrunt, quin negantibus anathema denunciàrunt.

VIII. Verùm tunc τὸ *naturale* non idem est ac quod fit secundùm naturalem rerum cursum; sicut naturaliter anima & corpus uniuntur: aut quod non liberâ voluntate, sed necessariò fit; quemadmodum alibi hæ vocis acceptiones obtinent: sed

natu-

naturaliter ſive *eſſentialiter* uniri, dictis patribus nihil aliud ſignificat, quàm reverà & ſecundùm veritatem unitionem factam eſſe, non juxta apparentiam, ſicut ſe explicat ipſe *Cyrillus* in defenſione citati anathematiſmi, l. ad Evoptium f. 195: *Aſſerit* (anathematiſmus tertius) *unitum ſecundùm naturam*, κατὰ φύσιν, τȣτ' ἔστιν, ȣ̓ σχετικῶς, ἀλλὰ κατὰ ἀλήθειαν, *hoc eſt, non ſecundùm habitudinem, ſed ſecundùm veritatem, ſanctæ carni Verbum rationalem habenti animam, nullô modô dividendum eſſe, ut ne duos imaginemur filios, & impartibilem partiamur. At hic* (Theodoretum, Cyri Epiſcopum, notat, qui anathematiſmos impugnârat) *non intelligens*, οἵα ποτέ ἐστιν ἕνωσις φυσικὴ, τȣτέστιν, ἀληθὴς, *quidnam ſit unio naturalis, h. e. vera, non confundens naturas neq; commiſcens &c.* ubi de acceptione τȣ̃ *naturale*, quatenus voluntario opponitur, quamque Theodoretus urgebat, pluribus agit. Sic in declaratione ejusdem anathematiſmi ad Epheſinam Synodum, f. 135: *Diſpenſationis Unigeniti cum carne myſterium ſtudioſè conſiderantes, admirabili & inenarrabili modô Verbum Dei patris ſancto corpori rationalem animam habenti adunatum eſſe dicimus, atq; ita unum eſſe filium intelligimus, quemadmodum videlicet in nobis ipſis cernere licet. Eſt quidem anima diverſæ à corpore naturæ, & tamen utraq; conjuncta unum animal efficiunt. Verùm ſunt, qui iſta non ad hunc modum habere ſuſpicantur, ſed hominem nobis ſeorſim ac ſeparatim ſtatuentes, Dei patris illum Verbo ſecundùm ſolam dignitatem vel autoritatem*, ȣ̓ καθ' ἕνωσιν φυσικὴν, τȣτ' ἔστιν ἀληθῆ, *non naturali, i. e. verâ unione, & ſicut nos credimus, conjunctum eſſe dicunt. Nam ita & divina Scriptura alicubi* (Epheſ. II, 3.) *dicit: Et eramus naturâ filii iræ, ſicut & cæteri, dictionem NATURÆ pro VERE uſurpans.* Hæc ibi Cyrillus, quæ repetit in libro apologet. pro duodecim capitulis ad orientales Epiſcopos f. 148. Cyrillo jungamus *Damaſcenum* & *Nicetam*, eandem explicationem inculcantes locis proximè citatis. Illum his verbis: ȣ̓σιώδη φαμὲν τὴν ἕνωσιν, τȣτ' ἔστιν, ἀληθῆ, καὶ ȣ̓

κατὰ

κατὰ φαντασίαν, *Essentialem* (vel ut *Jac. Faber Stapulensis* vertit, *substantialem*) *dicimus unionem, h. e. veram, non secundùm fallacem apparentiam.* Hunc autem ejusmodi: *Dicitur hæc* (scil. conjunctio personalis, καθ' ὑπόστασιν) *&* οὐσιώδης, *h. e. essentialis conjunctio, quòd vera sit, non autem solâ opinione fingatur.* Quô sensu igitur unio duarum in Christo naturarum *naturalis & essentialis* nuncupata fuerit, ita patet.

IX. Maxentium quod spectat, scio equidem, ipsum à nonnullis vellicari, & Eutychiani erroris reum agi. Verùm iniquè, ut existimo. Et iniqua præprimis in capitulum productum censura est, quam editores dictæ bibliothecæ præfixêre in hunc modum: *In tertio anathematismo dolò non carent verba illa,* substantialem sive naturalem unitatem, *post unionem duarum naturarum in Christo resultâsse unitatem quandam substantiæ vel naturæ, i. e. non nisi naturam, quæ est Eutychiana hæresis.* Iniquam dico hanc censuram & Eutychianismi postulationem, eamq; talem esse redarguat ipse Maxentius in sua de Christo professione, quæ ibidem f. 435. ab illis ipsis inserta legitur, ac ita infit: *Igitur sequentes in omnibus fidem sanctorum patrum, confitemur &c.* recitat totum Symbolum Chalcedonense contra ipsammet Eutychianam hæresin conditum, quod per omnia veneratur & amplectitur, & multis declarat ac confirmat. Sub finem ferè hæc addit: *Secundùm horum igitur hunc omnium S. Patrum catholicum sensum suscipimus quatuor Synodos, i. e. Nicænam, —— & eam quæ in Epheso congregata est, —— nec non etiam, quam sequimur & amplectimur, venerandam Synodum Chalcedonensem, omniaq́; scripta patrum sanctorum, qui unum & idem secundùm horum conciliorum definitiones senserunt. Anathematizamus autem omnes, si quis dubitat, aut retractat, aut imperfecta judicat, aut qui ea à fide Sanctorum Patrum æstimat aliena. Similiter igitur anathematizamus omnia scripta Theodori Mopsuestô, & Nestorii, discipuli ejus, & omnes qui similiter*

illis

illis sapiunt. His adjicientes Eutychem, Dioscorum, —— cum omnibus sectatoribus eorum & successoribus, communicatores & complices, aut qui quacunq; sorte eorum maculantur contagione. Hæc ibi. Et in alia fidei professione f. 444: *Nemo,* inquit, *potest esse catholicus, nisi qui in Verbo, Dei filio unigenito, duas fuerit professus post adunationem semper indissolubiliter manere naturas, i. e. Verbi & carnis, Dei & hominis, divinitatis & humanitatis.* Rursum in libello contra Acephalos f. 460. quem his verbis orditur: *Catholicæ fidei professione breviter exposita, pergimus nunc illorum respondere definitionibus, qui lapsu miserabili corruentes,* (Eutychianos innuit) *novis & exquisitis argumentationibus nefarium dogma Christi Ecclesiis moliuntur inferre, & Deum & hominem, Verbum & carnem confitentes, unam post adunationem in Christo naturam, stultè nimis impudenterq; conantur adstruere &c.* Ista Maxentius verbis perspicuis & rotundis, unde quàm procul ille ab Eutychiana hæresi, quæ post unionem duarum naturarum nonnisi unam naturam resultâsse docet, abfuisse censendus sit, penes candidos quosvis judicium esto. Ac proinde omni dolô carent verba illa, *substantialem sive naturalem unitatem,* modò in explicata & reliquis patribus jamjam citatis receptâ sententia capiantur. Sed missô unionis modò naturali sive essentiali, ad accidentalem, ejusq; varias species, properemus.

X. Cæterùm nec ulla quoque earum unioni nostræ accommodari potest. Et quidem non illæ, quæ dicuntur *per massam,* aut *per confusionem,* aut *per commixtionem,* aut per alios quoslibet temperandi modos, quos Eutyches, Constantinopolitanus Archimandrita, urgebat & solummodò concedebat. Si enim duæ naturæ in Christo per unionem ita inter sese permistæ & cõfusæ essent, sicut v. g. ex commixtione duarum rerum tertia aliqua substantia, quæ neutrius earum, unde composita est, & naturam & nomen retinet, constituitur; sequeretur, Christum, factâ uni-

ctâ unitione, nec Deum ampliùs esse, nec hominem, nec quamlibet naturarum suas essentiales proprietates distinctas & salvas retinuisse; sed tertium quoddam suppositum, cum proprietatibus invicem confusis, exinde propullulâsse: id quod absonum, nec ipse Eutyches unquam dicere ausus est. Quamvis enim post unionem unam saltem profitebatur naturam, tamen Christum adhuc Dominum confiteri non desinebat. *Confiteor*, inquit apud Evagrium l. I. hist. eccles. c. 9. *Dominum nostrum ex duabus naturis fuisse ante unionem: at post unionem unam solùm naturam in eo extitisse confiteor.* Unde, hanc absurditatem declinandi gratiâ, dicere solebat, *Deum Verbũ* ἀτρέπτως τραπέντα καὶ σάρκα γενόμενον, *inconvertibiliter conversum & carnem factum esse*, sicut refert *Theodoretus*, l. 4. hæret. fabularum c. 13. Tomô 4. oper. f. 246. edit. Paris. Græco-Lat: ubi & rectè hos sermones vocat καταγελάστους, ridiculos, risu certè, non responsione diluendos.

XI. Contra hanc Eutychianam confusionem Concilium Chalcedonense, oecumenicum IV. annô 451. Martiano Imperatore coactum, ita decrevit, apud eundem Evagrium l. 2. cap. 4: *Sanctos Patres sequuti unum & eundem confiteri filium, Dominum nostrum Jesum Christum, concorditer omnes docemus: perfectum in divinitate, & eundem perfectum in humanitate: verum Deum & verum hominem, eundem ex rationali anima & corpore: consubstantialem patri secundùm divinitatem, & consubstantialem eundem nobis secundum humanitatem; per omnia nobis similem, demptô peccatô* (ὁμοούσιον τῷ πατρὶ κατὰ τὴν θεότητα, καὶ ὁμοούσιον τὸν αὐτὸν ἡμῖν κατὰ τὴν ἀνθρωπότητα, κατὰ πάντα ὅμοιον ἡμῖν, χωρὶς ἁμαρτίας:) *ante secula quidem genitum ex Patre secundùm divinitatem: postremis verò diebus eundem propter nos & propter nostram salutem, ex Maria virgine Deipara* (τῆς θεοτόκου) *secundùm humanitatem: unum & eundem Christum, Filium, Dominum, Unigenitum, in duabus naturis, inconfusè, inconvertibiliter, indivulsè, inseparabiliter cognitum;*

(ἐν δύο

(ἐν δύο φύσεσιν, ἀσυγχύτως, ἀτρέπτως, ἀδιαιρέτως, ἀχωρίστως γνωριζόμενον.) *hautquaquam naturarum differentiâ sublatâ propter unionem, sed servatâ potiùs utriusq; naturæ proprietate, & in unam personam atq; subsistentiam concurrente* (οὐδαμοῦ τῆς τῶν φύσεων διαφορᾶς ἀνῃρημένης, διὰ τὴν ἕνωσιν, σωζομένης δὲ μᾶλλον τῆς ἰδιότητος ἑκατέρας φύσεως, καὶ εἰς ἓν πρόσωπον καὶ μίαν ὑπόστασιν συντρεχούσης:) *sicut de illo olim Prophetæ vaticinati sunt, & ipse nos Dominus Jesus Christus erudiit, ac patrum symbolum nobis tradidit.* Hæc triginta supra sexcentos Ecclesiæ doctores in synodica fidei expositione, quam proximè insecutæ œcumenicæ synodi Constantinopolitanæ, secunda & tertia, suis calculis roborârunt.

XII. Hîc verò iterum notari meretur, vetustissimos patres & martyres, in descriptione hujus unionis, non rarò vocibus *permiscendi, temperandi*, harumq; similibus, usos fuisse, quos adducere non omninò abs re erit, ne quis in eorum lectione offendatur. *Irenæus*, qui Apostolorum discipulos adhuc audivit, & Lugduni in Gallia Episcopus fuit, l. 3. adversus hæreses cap. 21. f. 287: *Propter hoc*, ait, *Verbum Dei homo, & qui filius Dei, filius hominis factus est, COMMIXTUS Verbo Dei.* Citat & hunc locum Theodoretus dial. 1. Tom. 4. f. 35. omissis a. iis, quò respicimus, verbis: unde fortè suspicio alicui suboriri posset, quasi illa aliunde invecta fuissent, nisi codicum consensus, & eadem phrasis alibi eidem usurpata succurreret. Ita enim l. 4. c. 37. f. 370: *Per quem* inquit, *Dominum nostrum J. C. COMMIXTIO & communio Dei & hominis secundùm placitum patris facta est.* Lugdunensem hunc Præsulem & Martyrem sequitur in Africa Carthaginensis Presbyter *Tertullianus*, in apologet. adv. gentes c. 21. f. 47. edit. Jun. *Iste Dei radius* (de filio Dei loquitur) *ut retrò semper prædicabatur delapsus in virginem quandam, & in utero ejus caro figurata nascitur homo Deo MISTUS.* Sic l. 2. adv. Marcionem c. 27. f. 382: *MISCENTE in semetipso hominem & Deum.* Et *Cyprianus*, ejusdem

ecclesiæ Presbyter, l. de idolorum vanitate f. 177. edit. Basil. *Hic* (filius Dei) *in virginem illabitur, carnem Spiritu S. cooperante induitur. Deus semper* (sc. existens, h. e. æternus: aut si mavis, cum aliis exemplaribus ne lege hoc adverbium.) *cum homine MISCETUR.* Hæc ex secundo & tertio seculis. Ex quarto *Athanasius* orat. contra Sabellii gregales Tom. I. f. 510. ita loquitur: ἔχει ἀνθρώπινον ἀναμεμιγμένον ἡ θεότης, *habet humanitatem sibi admistam deitas.* Et *Gregorius Naz.* orat. 36. quæ est secunda de Filio, f. 578. seq: *Quid majus & honorificentius hominis humilitati contingere queat, quàm Deo copulari, atq; ex illa mixtione* (ἐκ τῆς μίξεως) *Deum effici.* Item orat. 38. quæ est in Christi nativitatem, f. 620. in hæc verba exclamat: ὢ τῆς καινῆς μίξεως, ὢ τῆς παραδόξου κράσεως! *ô novam mixtionem! ô admirandam temperationem!*

XIII. Similiter seculô quintô *Augustinus* multis in locis easdem loquendi formas adhibet, & in earum usu, si quisquam latinorum patrum alius, frequentissimus deprehenditur. Unum atque alterum saltem ex ipso producamus. Epist. 3. ad Volusianum, circa med. Tom. 2. sic loquitur: *Ita inter Deum & homines mediator apparuit, ut in unitate personæ copulans utramq; naturam, & solita sublimaret insolitis, & insolita solitis TEMPERARET.* —— *Quidam reddi sibi rationem flagitant, quomodo Deus homini PERMISTUS sit, ut una fieret persona Christi, cùm hoc semel fieri oportuerit, quasi rationem ipsi reddant de re, quæ quotidie fit, quomodo misceatur anima corpori, ut una persona fiat hominis? Nam sicut in unitate personæ anima unitur corpori, ut homo sit: ita in unitate personæ Deus unitur homini, ut Christus sit. In illa ergo persona mistura est animæ & corporis: in hac persona MISTURA est Dei & hominis; si tamen recedat auditor à consvetudine corporum, quâ solent duo liquores ita commisceri, ut neuter servet integritatem suam, quanquam & in ipsis corporibus aëri lux incorrupta misceatur. Ergo persona hominis mistura est animæ & corporis: persona autem Christi MISTURA est Dei & hominis. Cùm enim*

Verbum

Verbum Dei PERMISTUM *est animæ habenti corpus, simul & animam suscepit & corpus. Illud quotidie fit, ad procreandos homines; hoc semel factum est, ad liberandos homines. Verumtamen duarum rerum incorporearum commistio faciliùs credi debuit, quàm unius incorporeæ & alterius corporeæ. Nam si anima in sua natura non fallitur, incorpoream se esse comprehendit, multò magis incorporeum est Verbum Dei, ac per hoc Verbi Dei & animæ credibilior debuit esse* PERMISTIO, *quàm animæ & corporis. Sed hoc in nobis ipsis experimur: illud in Christo, credere jubemur. Si autem utrumq; nobis pariter inexpertum credendum præciperetur, quid horum citiùs crederemus? Quomodo non fateremur, duo incorporea, quàm unum corporeum alterumq; incorporeum, faciliùs potuisse* MISCERI: *si tamen non indignè ad ista mistionis vel misturæ nomen admittitur, propter consvetudinem corporalium rerum longè aliter se habentium, aliterq; notarum.* Ita ibi Augustinus. Et l. 4. de Trin. c. 13. Tom. 3: *Dei Verbo ad unitatem* COMMIXTUS *est homo.* Item c. 20. in fine: *Verbo Dei ad unitatem personæ copulatus, & quodammodo* COMMIXTUS *est homo.* Hæc & plura ejusmodi alia Augustinus in operibus, quæ adhuc supersunt. Ex deperditis extat fragmentum quoddam libri *de expositione fidei*, apud Theodoretum dial. 2. f. 108. seq. ubi inter cætera misturam hanc absq; omni confusione credendam esse expresse jubet. Insigne est fragmentum, nec indignum, quod totum hîc legatur, prout sequitur: *Nostrum est credere, illius autem (Dei) scire. Et ita ipse Deus Verbum, cùm quidquid est hominis susceperit, homo sit, & qui assumtus homo est, cùm id totum susceperit quod Deus est, non aliud sit, quàm quod Deus. Nec tamen quoniam incarnatus &* MIXTUS *esse dicitur, diminutam ejus substantiam esse existimandum est. Scit Deus seipsum* MISCERE *absq; propria corruptione & interitu, & verè quidem* MISCETUR. *Ita autem novit in se suscipere, ut nihil ei additamenti crescat. Ut ipse novit, seipsum totum infudit, ita ut nulla ei diminutio eveniret.*

ret. Ne ergo ex nostra imbecillitate judicantes, & ex sensibilibus experientiæ doctrinis conjectantes, quemadmodum creaturæ ex æquo inter se miscentur, Deum & hominem COMMIXTUM esse putemus, nec Verbum carni fuisse confusum, & tamquam aliquod ex eis corpus factum esse. Absit ut ita credamus, ne fortè instar eorum, quæ confunduntur, duas naturas in unam substantiam deductas esse existimemus. Ejusmodi enim mixtio est utriusq; partis corruptio & interitus. Deus autem continens, sed non contentus; scrutans, non scrutatus; implens, non impletus; ubiq; totus simul existens, & per universum simul procedens, ut suam infunderet potentiam, utpote misericors, humanæ naturæ MIXTUS est, non tamen natura humana divinæ COMMIXTA est. Totum hunc locum (suppressô tamen Augustini nomine, & immutatis nonnihil verbis) transscripsit *Leporius*, Galliæ Presbyter seculò quintò, in suam confessionem, ab omnibus Africanis & Gallicanis Episcopis comprobatam, apud Joh. Cassianum, ejusdem seculi scriptorem & Massilrensem in Gallia Presbyterum, l. 1. de incarnatione Domini, ante finem.

XIV. Ex his atque similibus, quæ chartæ angustia non capit, patrum testimoniis satis superq; constat, quâ ratione illi ante Eutychianum certamen securiûs loquuti, ac duris ejusmodi vocabulis, ad demonstrandam saltem unionis duarum naturarum veritatem, usi fuerint. Posteaquam autem Eutyches cum asseclis illa ad palliandam suam hæresin in sequiorem sensum trahebat, libentiùs talibus abstinuêre, & rectè quidem. Tradit hanc observationem *Rusticus*, Diaconus Romanus, in disputatione sive dialogo adversus Acephalos (Eutychianorum sobolem,) Tom. cit. magnæ bibl. f. 820. his Cyrilli verbis: *Nomen quidem commixtionis posuerunt etiam sanctorum patrum nonnulli. Quoniam verò revereri te dicis, ne forsitan quædam putetur refusio contigisse, quemadmodum in ordine eorum, quæ invicem liquida commiscentur, liberem*

rem te ab hujusmodi pavoribus. Sapuerunt enim, sicuti nos, nunquam abusi sunt verbô; summam factam unitionem eorum, quæ ad alterutrum convenerunt, significare studentes.

XV. Libenter, ut dixi, propter Eutychianos omiserunt postmodum Ecclesiæ doctores istas loquendi formulas, idque à tempore habiti concilii Chalcedonensis, sicut ex illorum lectione annotare est. Interim tamen eos penitus ab iisdem abhorruisse, atque sese vocabulorum mancipia, sensu quantumvis salvô suppositô, reddidisse, non facilè dixerim. Duos saltem in fidem dictorum testes dabo, eosq; satis illustres, nec ullatenus, quantum hoc doctrinæ caput attinet, reprobandos: *Vigilium* alterum, Tridentinum Episcopum & martyrii coronâ clarum, in illo ipso, quem non diu post dictum Concilium contra Eutychianos scripsit & quinq; libris absolvit, eruditissimo tractatu; alterum ex Græca ecclesia, *Joh. Damascenum*, qui seculô octavô floruit, & totius antiquitatis disputationes & sententias, præsertim verò ea, quæ in quatuor oecumenicis conciliis definita sunt, insigni diligentiâ collegit. Ille quidem l. 1. non procul ab initio: *Nos unum Deum,* inquit, *eundemq; Dei filium & hominis filium, non duos profitemur, & ita Verbum intra virginei uteri secreta carnis sibi initia conseviße, i. e. incarnatum fuiße, ut tamen Verbi natura non mutaretur in carnem: item carnis naturam ita per suscipientis COMMIXTIONEM in Verbi transiisse personam, ut non tamen fuerit in Verbo consumta.* Et post aliqua verba: *Quis in tam abruptum erroris barathrum semetipsum injiciat, ut filium Dei, sine sua propria carne, quam in sacræ virginis utero, ineffabili societatis PERMIXTIONE ita sibimet adunavit, ut Verbum homo, & homo Deus, idemq; unus, non mutatis naturarum generibus fieret, neget hodie sedere ad dexteram patris? —— Usq; adeò ostendere voluit nostri generis naturam per COMMIXTIONEM individuam unitatem non fuiße consumtam, ut se etiã in cœlo positũ filiũ hominis dicat.* Hæc ille. Iste autem l. 4.

orth. fid. c. 19: *Hæc* (sc. incarnatio, humanatio, exinanitio, pauperies, & humiliatio) *& similia ex mixtione ad humanitatem* (ἐκ τῆς πρὸς τὸ ἀνθρώπινον κράσεως) *dicuntur de Verbo Dei.* Ibidem paulò inferiùs de iis, quæ ἀνθρωποπρεπῶς Salvatori tribuuntur, tractans: *in his*, ait, *omnibus mixtio est divinitatis ad humanitatem*, μίξις δὲ τῆ θείᾳ πρὸς τὸ ἀνθρώπινον. Et l. 3. c. 18. de voluntate Christi agens inter cætera dicit: *mens igitur menti miscetur*; νοῦς νοῒ μίγνυται). Ita illi suâ libertate usi sunt suis temporibus, ubi non omnia ad vivũ resecabantur, & magis ad sensum, quàm ad verba spectabatur, contrariô planè nostri seculi more. Tantum & de modis accidentalibus prioribus, Eutychianam naturarum confusionem introducentibus. Pergimus ad reliquos, qui propter Nestorianos removendi veniunt.

XVI. Porrò igitur unio duarum in Christo naturarum non est *personalis*, προσωπική, eô nimirum, quem Nestorius fingebat, sensu. Hic enim (teste Cyrillô in priori ad Successum, Isauriæ Episcopum, epistolâ f. 264. Tom. cit.) verbis interdum profitebatur, unum esse Christum; ast unione non duarum naturarum ad unam subsistentiam sive personam; sed duarum personarum, Filii Dei puta & filii Mariæ, per assistentiam, relationem, dignitatem, & cæteros modos. *Per assistentiam* quidem, quatenus Filius Dei filio Mariæ semper adfuit præsentissimus, in eoq;, ceu suo templo, habitavit. *Per relationem*, quatenus mutuô affectu & auxiliô fuerunt conjunctissimi. *Per dignitatem*, quatenus visibilis & gestans filius Mariæ honorabatur propter invisibilem & gestatum filium Dei. *Per consensum*, quatenus illorum voluntates amicissimè semper conspirabant. *Per homonymiam* deniq;, quatenus filius hominis gaudebat titulô filii Dei & appellatione Dei, propterea quòd hic istum adsumserit. Videatur *Cyrillus* l. de recta fide ad Theodosium, non longè ab initio, Tom. 3. f. 257. & Tom. 4. passim.

XVII.

XVII. Sed ejusmodi unio consociationis tantùm nomen meretur, minimè autem personalis, seu καθ' ὑπόστασιν, dicenda est, ut rectè monet Cyrillus. Imò *duarum subsistentiarum seu personarum secundùm hypostasin fieri unionem impossibile est*, ait Imperator *Justinianus* (δύο ὑποστάσεων ἤτοι προσώπων καθ' ὑπόστασιν γενέσθαι ἕνωσιν, ἀδύνατον) in confessione rectæ fidei adversus tria capitula, Tom. 4. Concil. f. 353. Igitur linguam saltem orthodoxorum patrum, non mentem imitatus est Nestorius, & quod voce fateri visus fuit, adjectis suis explicationibus statim evertit, eô ipsô fraudulentum animum manifestò prodens.

XVIII. Fraudulentam hanc Nestorii professionem graviter perstringit *Vincentius*, Lirinensis in Gallia Abbas seculô quintô, commonitor. adversus hæreses c. 17: *Quòd si quis eum putat in literis suis unum Christum dicere, & unam Christi prædicare personam, non temerè credat. Aut enim istud fallendi arte machinatus est, ut per bona faciliùs svaderet mala:* —— *aut fraudulentiæ causâ quibusdam in locis scriptorum suorum unum Christum, & unam Christi personam credere se jactitat: aut certè post partum jam Virginis ita in unum Christum duas perhibet convenisse personas, ut tamen conceptûs seu partûs virginei tempore, & aliquantò postea, duos Christos fuisse contendat.* Huc quoq; feriunt priores anathematismi seu capitula Cyrilli, in concilio Ephesino, ut suprà n. VI. diximus, unanimiter recepta, & imprimis tertium, quod Græcè jam addimus: Εἴτις ἐπὶ τοῦ ἑνὸς χριστοῦ διαιρεῖ τὰς ὑποστάσεις μετὰ τὴν ἕνωσιν, μόνῃ συνάπτων αὐτὰς συναφείᾳ, τῇ κατὰ τὴν ἀξίαν, ἤγουν αὐθεντίαν, ἢ δυναστείαν, καὶ οὐχὶ δὴ μᾶλλον συνόδῳ τῇ καθ' ἕνωσιν φυσικὴν, ἀνάθεμα ἔστω.

XIX. Disertiùs adhuc personatum istum unionis modum unà cum suis limitationibus damnat *Synodus Constantinopolitana II.* œcumenica V. annô 553. sub Justiniano Imp. habita, anathematismô quintô, apud *Lud. Bail.* summæ Conciliorum Tom. I. f. 157:

c. 157: *Si quis unam subsistentiam Domini nostri Jesu Christi sic intelligit, tamquam suscipientem plurimarum subsistentiarum significationem, & per hoc introducere conatur in mysterio Christi duas subsistentias seu duas personas; & duarum personarum, quas introducit, unam personam dicit secundùm dignitatem, & honorem, & adorationem, sicut Theodorus* (Mopsuestiæ in Cilicia Episcopus) *& Nestorius insanientes conscripserunt,—— talis anathema sit.* Et capitulô antecedente: *Si quis dicit, secundùm gratiã, vel secundùm operationem, vel secundùm dignitatem, vel secundùm qualitatem honoris, vel secundùm autoritatem, aut relationem, aut affectum, aut virtutem* (κατὰ χάριν, ἢ κατ᾽ ἐνέργειαν, ἢ κατ᾽ ἀξίαν, ἢ κατ᾽ ἰσοτιμίαν, ἢ κατ᾽ αὐθεντίαν, ἢ ἀναφορὰν, ἢ σχέσιν, ἢ δύναμιν, prout Græca in Justinianea confessione habentur) *unitionem Dei Verbi ad hominem factam, vel secundùm bonam voluntatem,* (κατ᾽ εὐδοκίαν) *quasi quòd placuit Deo Verbo homo, eò quòd benè visum est ei de ipso, sicut Theodorus insaniens dicit: vel secundùm homonymiam, per quam Nestoriani Deum Verbum Filium & Christum vocantes, & hominem separatim Christum & filium nominantes, & duas personas evidenter dicentes per solam nominationem,* (κατὰ μόνην τὴν προσηγορίαν) *& honorem, & dignitatem, & adorationem, unam personam, & unum filium, & unum Christum confingunt dicere: sed non confitentur unitatem* (ἕνωσιν) *Dei Verbi ad carnem animatam animâ rationali & intellectuali, secundùm compositionem sive secundùm subsistentiam factam esse, sicut sancti patres docuerunt, & ideò unam ejus subsistentiam compositam,* (μίαν αὐτοῦ τὴν ὑπόστασιν σύνθετον) *qui est Dominus noster Jesus Christus, unus de S. Trinitate, talis anathema sit. Cùm enim multis modis unitas intelligitur, qui impietatem Apollinaris & Eutychetis sequuntur, interemtionem eorum, quæ convenerunt, colentes, unitionem secundùm confusionem dicunt. Theodori autem & Nestorii sequaces, divisione gaudentes, affectualem unitatem introducunt. Sancta Dei Ecclesia, utriusque perfidiæ impietatem rejiciens,*

unio-

unionem Dei Verbi ad carnem secundùm compositionem confitetur, quod est, secundùm subsistentiam. Unitio n. per compositionem in mysterio Christi non solùm inconfusè ea, quæ convenerunt, conservat, sed neq; divisionem suscipit. Ita centum sexaginta quinq; Episcopi contra Nestorianæ unionis modos, & præcipuè contra fucatam istam personalem, sub anathemate determinârunt.

XX. Atq; in hunc quoq; sensum damnavit suprà n. VII. *Maxentius* unionem personalem sive subsistentialem; in sensum, inquam, Nestorianorum, contra quos capitula direxerat, ut inscriptio testatur, & limitationes annexæ (*aut secundùm illustrationem, sive secundùm dilectionem, aut secundùm affectionem*) clarissimè indicant: adeò ut dicti bibliothecæ auctores rursus nodum in scirpo quæsivisse ad oculum denuò pateat, quando in allegatum capitulum ita animadvertere pergunt: *In eodem anathematismo verba illa,* sed substantialem sive personalem dicit unitatem, *si non palam hæretica, sunt tamen absurda & impropria. Docet n. fides catholica, unionem duarum naturarum in Christo subsistentialem & personalem esse, quia uniuntur duæ naturæ in una substantia & personalitate Verbi.* Enim verò, quid hæretici, absurdi & improprii Maxentius commiserit, damnando cum patribus Constantinopolitanis unionem personalem, quæ est *aut secundùm illustrationem, &c.* planè non video. Ne dicam, illos ipsos animadversores (si quidem hæreseos nomine Nestorianam indigitent, ut certè videntur) insigniter absurdos esse, dum Maxentium modò Nestorianismi insimulant, quem modò Eutychianismi incusârant, hæresium è diametro inter sese pugnantium. Æquè absurdum hoc est, ac in genere morum pronunciare aliquem simul prodigum & avarum, luxuriosum & sordidum, audacem & timidum; aut, ut exempla è nostro foro arcessamus, eundem simul dicere Manichæum & Pelagianum, quantum ad doctrinam de libero arbitrio, item Tritheitam & Sabellianum, Iconolatram & Iconoclastam. Cœterùm Maxentium neutrius hæreseos reum

jure agi posse, ex verbis ejus n. IX. adductis sufficientissimè liquere arbitror: quibus tamen, majoris evidentiæ gratiâ, alia adhuc ex citata de Christo professione conjungemus, in hunc modum sonantia: *Has igitur* (Chalcedonense Symbolum recitaverat) *duas naturas Dei Verbi D. N. J. Christi, h. e. divinitatis & humanitatis, naturaliter sive substantialiter, secundùm traditionem S. patrum, credimus & confitemur unitas, eò quòd natura inviolabilis Dei Verbi naturæ est unita passibili &c.* Hinc testimoniis Athanasii & Cyrilli productis subdit: *Horum igitur S. patrum doctrinam sequentes, abominamur omnia eorum* (Nestorianorum puta) *deliramenta, qui filium filio copulatum, aut alterum inhabitantem in altero, alterum autem alteri confitentur unitum secundùm affectum, aut gratiam, aut dignitatem, aut æqualem honorem sive auctoritatem, aut secundùm connuncupationem, aut concordiam, aut illustrationẽ, sive secundùm inoperationem, aut personalem factam credunt unitionem, B. Cyrillo in capitulo tertio contra Nestorium dicente. Si quis &c. Similiter B. Gregorius in epist. ad Cledonium: Si quis, inquit,* (verba integra ex n. VI. huc repete.) *Unam verò duarum naturarum subsistentiam sive personam, quam nobis veneranda Chalcedonensis synodus tradidit, nullius alterius nisi Dei Verbi incarnati & hominis facti confitemur.* Hucusq; Maxentius, quibus se satis contra Nestorianismi crimen tutatur. Cur autem tantopere ab istis Censoribus exagitetur, non obscurum est suspicari, & dicere libet. Nimirum contentio orta erat inter Hormisdam, R. Papam, & Monachos Scythas super quæstione, *de uno ex Trinitate crucifixo*, quam alia *de Christo composito* comitabatur. Monachorum eam affirmantium partes tuitus fuerat Maxentius contra Papam, eumq; *hæreticum & catholicæ veritatis inimicum* proclamârat. Hinc illæ lacrymæ. Sed hoc obiter, idq; occasione unionis personalis, quam Nestorius excogitabat, & in compositione duarum personarum juxta assistentiam, relationem aliosq; modos, falsò & subdolè collocabat.

XXI. Excussis ita & segregatis hinc omnibus tum Eutychianæ, tum Nestorianæ unionis speciebus, dicimus tandem, unionem duarum naturarum in Christo factam esse καθ' ὑπόστασιν, ad unam videlicet Filii Dei seu Verbi personam, sive subsistentiam, substantiam aut suppositum: hinc quoq; *hypostatica*, *personalis*, *subsistentialis*, *substantialis* & *suppositalis* promiscuis nominibus, unô licèt alteris commodiori & usitatiori, appellatur. Secunda igitur Deitatis persona est terminus unionis ad quem, ut iterum Scholastici loquuntur, seu commune vinculum, quod has duas naturas, essentiâ & proprietatibus distinctas, & nullâ naturali inclinatione ad unionem propendentes, in unum colligat. Et ut omnis hæreticorum laqueus evitari queat, dicimus porrò cum Patribus Concilii Chalcedonensis, unionem hanc ad hypostasin factam esse ἀσυγχύτως, ἀτρέπτως, ἀδιαιρέτως, ἀχωρίστως, absq; omni naturarum confusione, cõmutatione, divulsione & separatione. Quos hypostaticæ unionis modos repetunt & declarant patres in Concilio Constãtinopolitano III. oecumenico VI. an. 680. Constantinô Pogonatô imperante, contra Monothelitas celebrato.

XXII. Omnia, quæ hactenus fusè disseruimus, breviter cõplectitur *Joh. Damascenus* l. 3. c. 3. his verbis: φαμὲν γεγενῆσθαι τὴν ἕνωσιν οὐ κατὰ φυρμὸν, ἢ σύγχυσιν, ἢ σύγκρασιν, ἢ ἀνάκρασιν, ὡς ὁ θεήλατος ἔφη Διόσκορος, Εὐτυχής τε καὶ Σευῆρος, καὶ ἡ τούτων ἐναγὴς συμμορία. οὐδὲ προσωπικὴν, ἢ σχετικὴν, ἢ κατ' ἀξίαν, ἢ ταυτοβουλίαν, ἢ ὁμοτιμίαν, ἢ ὁμωνυμίαν, ἢ εὐδοκίαν, ὡς ὁ θεοστυγὴς ἔφη Νεστόριος, Διόδωρός τε καὶ ὁ Μομψουεστίας Θεόδωρος, καὶ ἡ τούτων δαιμονιώδης ὁμήγυρις. ἀλλὰ κατὰ σύνθεσιν, ἤγουν καθ' ὑπόστασιν, ἀτρέπτως, καὶ ἀσυγχύτως, καὶ ἀναλλοιώτως, καὶ ἀδιαιρέτως, καὶ ἀδιαστάτως, καὶ ἐν δυσὶ φύσεσι τελείως ἐχούσαις μίαν ὑπόστασιν ὁμολογοῦμεν τοῦ υἱοῦ τοῦ θεοῦ, καὶ σεσαρκωμένου, τὴν αὐτὴν ὑπόστασιν λέγοντες τῆς θεότητος καὶ τῆς ἀνθρωπότητος αὐτοῦ, καὶ τὰς δύο φύσεις ὁμολογοῦντες σώζεσθαι ἐν αὐτῷ μετὰ τὴν ἕνωσιν, οὐκ ἰδίᾳ καὶ ἀνὰ μέρος τιθέντες ἑκάστην, ἀλλ' ἡνωμένας ἀλλήλαις ἐν τῇ μιᾷ συνθέτῳ ὑποστάσει. Quæ ex versione Stapulensis ita sosnant: *Dicimus, unionem factam esse, non secundùm massam, au*

confut-

confusionem, aut mixtionem: ut à Deo repulsus inquit Dioscorus, Eutyches & Severus, & eorum scelerata cohors. Neq; personalem, aut habitualem, aut secundùm dignitatem, aut eandem voluntatis conspirationem, aut honoris æqualitatem, aut eandem homonymè nuncupationem, aut acceptationem: ut Deo odibilis dicebat Nestorius, Diodorus, & igne dignus Theodorus, & eorum dæmonica conventio. Sed secundùm compositionem, i. e. secundùm hypostasin, invertibiliter, inconfusè, inalteratè, indivisè, & indistanter, & in duabus naturis perfectis habentibus unam hypostasin confitemur filium Dei incarnatũ: eandem hypostasin dicentes deitatis ejus & humanitatis, & duas naturas confitentes in ipso salvas integrasq; manere post unionem, non seorsum & particulatim ponentes unamquamq;; sed unitas adinvicē in una composita hypostasi. Hæc de unione hypostatica Damascenus in compendio, & sufficienter.

XXIII. Hujus unionis illustre & præcipuum testimonium extat apud Evangelistam Joh. I, 14. ita scribentem: *Verbum caro factum est.* ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο. Ubi per *Verbum* intelligendam esse personam Filii Dei, & per *Carnem* humanam naturam sive hominem, ne ipsi quidem hæretici, contra quos hactenus disputavimus, inficias ibant. Persona itaq; Filii Dei facta est caro aut homo. Ast quomodo? num per commutationem, an verò per assumtionem? Duobus siquidem modis una substantia fieri potest altera. Semel, quando una in alteram convertitur, sive, ut barbarâ voce utar, transsubstantiatur: sicut Joh. II, 9. dicitur, *aquam vinum factum,* h. e. substantiam aquæ omnipotente Christi virtute commutatam fuisse in substantiam vini, ita ut non ampliùs aqua, sed vinum fuerit. Deinde, quando una ad alteram accedit & adjungitur, cum qua in unum suppositum coalescit: sicut Gen. II, 7. scriptum est: *Formavit Dominus hominem de limo terræ, & inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viventem;* homo enim factus est anima vivens, quando animâ corpori associatâ unum ipse suppositum ex utroq; conflatum existere cœpit.

XXIV. Quibus prænotatis statuimus, Verbum carnem factum, non priori modô, per commutationem scilicet, conversionem, aut transitionem unius naturæ in alteram; sed posteriori, qui est per assumtionem alterius naturæ. Quemadmodum nimirum primus homo factus est in animam viventem, non conversione corporis in animam, aut hujus in illud; sed solâ animæ ad corpus accessione, unde nova hypostasis extitit: Similiter Verbum homo factum est, non conversione sui in hominem; sed humanæ naturæ ad divinam associatione vel accessione, unde persona θεάνθρωπος existere cœpit. Ad hanc similitudinem respexit, quorundam interpretum judiciô, Paulus I. Cor. XV, 45. his verbis: *Factus est (ἐγένετο) primus homo Adam in animam viventem: novissimus Adam* (Christus) *in spiritum vivificantem.* Sicuti autem hic vox ἐγένετο saltem ostendit unionem corporis & animæ in homine: ita eadem vox apud Johannem saltem notat unionem divinæ & humanæ naturæ in Christo, adeoq; non commutationem, sed assumtionem solummodo significat.

XXV. Verbum ergo Dei factum est caro, non ut in carnem aut hominem commutaretur; sed ut immutabile ipsum permanens, humanam carnem assumeret. Id quod ulteriùs ita patet. Primò enim S. Scriptura apertè docet, Deum non posse in aliud commutari. Malach. III, 6: *Ego Dominus, non mutor.* לֹא שָׁנִיתִי *non mutatus sum*, ut Pagninus vertit. Et Jacob. I, 17: *apud quem* (patrem luminum, h. e. Deum) *non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio,* παρ' ᾧ οὐκ ἔνι παραλλαγὴ, ἢ τροπῆς ἀποσκίασμα. Itaq; Deus Verbum non potuit caro fieri ita, ut in eam transmutaretur, sicut aqua vinum facta fuit. Secundò, eadem phrasin Johannis alibi explicat, non per conversionem in substantiam carnis, sed per assumtionem. Sic Paulus Phil. II, 6. & 7. disertè dicit, *qui in forma Dei erat, formam servi* ἔλαβε, *accepit*, assumsit. Et Hebr: II, 14: *Quia ergo pueri communicaverunt carni & sanguini, & ipse similiter participavit* (μετέσχε) *eisdem.* Item v. 16: *Nusquam*

quam Angelos assumsit, sed semen Abrahæ assumsit, οὐ δήπου ἀγγέλων ἐπιλαμβάνεται, ἀλλὰ σπέρματος Ἀβραὰμ ἐπιλαμβάνεται. Ita igitur explicante Paulô Verbum caro factum est, non ut in eam converteretur; sed sicut ipse loquitur, ut formam servi acciperet, ut carnis & sanguinis μέτοχος fieret, & semen Ahrahæ assumeret. Non ergo humanum inventum est illud ἔλαβε, quemadmodum perperam Eutychiani olim catholicis objiciebant, apud Theodoretum dial. 1. τοῦτο τὸ ἔλαβεν ὑμέτερόν ἐστιν εὕρεμα: *illud ASSUMSIT vestrũ inventũ est: nam Evangelista, Verbum caro factum est, dicit.*

XXVI. Adde tertiò & hoc, Si Deus Verbum caro factum est per conversionem, sequitur necessariò, illud post incarnationem non ampliùs Deum, sed carnem tantummodo esse; sicut aqua, quæ vinum facta erat, non aqua deinceps, sed vinum saltem fuit. Ast verò S. Scriptura adhuc post incarnationem Christum non merum hominẽ, sed Deum pariter ac hominem expresse nominat: ita n. *ex patribus est secundùm carnem*, ut nihilominus idem sit *super omnia Deus benedictus in secula*, Rom. IX, 5. Et quando in carnem venit, *Deus in carne manifestatus esse* scribitur 1. Tim. III, ult. cùmq; passus est & nos redemit, dicitur *Dominus gloriæ* i. e. Deus *crucifixus esse*, 1. Cor. II, 8. *& Deus propriò sanguine ecclesiam acquisivisse*, Act. XX, 28. Elegantissimè in hanc rem *Vigilius* l. 4. paulò post principium commentatur. *Si*, inquit, *non est conversus in carnem, & factus est homo, permanens Deus, hoc ipsum quod factus est homo, quia immutatio dici non potest, adsumtio dicatur necesse est: ac sic geminum quiddam erit id quod erat, & mutatum non est; & id quod non erat, & factum est vel adsumtum: quia id quod erat, non est mutatum in carnem, & tamen habet carnem, sicut ipse ait*, Caro mea vera est: *cujus & Petrus meminit*, Neq; caro ejus vidit corruptionem. *Quia ergo non est idipsum haberi & habere, Verbum quippe habet, habetur autem caro, perspicuè & liquidò comprobatur, Christum utrius esse naturæ, unius verò personæ.*

XXVII.

XXVII. Quamobrem nihil certius est juxta scripturas, quàm ita Verbum carnem factum esse, ut formam servi & semen Abrahæ; unô nomine, ut humanam naturam assumeret, non ut in eam converteretur. Idq; est quod *Athanasius* in Symbolo dicit, Tom. 2. f. 39: *Perfectus Deus, perfectus homo ex anima rationali & humana carne subsistens.— Qui licèt Deus sit & homo, non duo tamen, sed unus est Christus. Unus autem,* οὐ τροπῇ θεότητος εἰς σάρκα, ἀλλὰ προσλήψει ἀνθρωπότητος εἰς θεότητα, *non conversione divinitatis in carnem, sed assumtione humanitatis in Deitatem. Unus omninò* οὐ συγχύσει φύσεων (al. οὐσίας,) ἀλλ᾽ ἑνώσει ὑποστάσεων, *non confusione substantiæ, sed unitate personæ.* Vel, prout illud Jac. Usserius cum aliis veterum Symbolis edidit, p. 29: *Perfectus Deus existens factus est perfectus homo,* μὴ τραπεὶς, μὴ ἀλλοιωθεὶς τὴν ὑπερούσιον καὶ ἄφραστον οὐσίαν τῆς αὐτοῦ θεότητος, *non conversâ neq; commutatâ superessentiali & inexplicabili Deitatis suæ substantiâ: ex anima rationali & humana carne subsistens. Ipse sibi, cum cognato suo sanctissimo Spiritu, fabricans sanctissimam carnis assumtionem* (δημιουργήσας τὴν παναγίαν τῆς σαρκὸς πρόσληψιν:) *perfectam substantiam humanam, in eo subsistentem, & ab eo inseparabilem.— Planèq; verus Deus est & homo: non duo tamen, sed unus est Christus. Unus autem,* οὐ τραπεῖσα ἡ σάρξ, ἀλλὰ ἀναληφθεῖσα εἰς τὸν θεὸν, *non conversione carnis, sed assumtione in Deum. Unus omninò,* οὐ συγχύσει οὐσιῶν, ἀλλ᾽ ἑνώσει τῇ καθ᾽ ὑπόστασιν, *non confusione substantiarum, sed unitate personæ.* Et in alia fidei confessione Athanasio à quibusdam attributa, apud eundem Usserium p. 31: *Verbum caro factum, non amisit, quod fuerat, sed cœpit esse quod non erat. Non Deum mutatum, sed Deum permanentem, etiam hominem natum.* Reperitur hæc confessio aliàs inter opera Gregorii Naz. hoc prænotata titulò: *de fide Nicæna, Ruffino Presbytero interprete, tractatus*, Tom. I. f. 736. Sed rectiùs Athanasio tribuitur: habetur n. ea tota l. XI. seu ult. de Trin. ad Theophilum, in principio: (quamquam & de his à doctioribus dubitatur, num genuinis Athanasii scriptis accensendi sint,

di sint, unde in editionibus omnibus integrè non habentur: in editione enim Commeliniana priores septem tantùm reperies, posterioribus quatuor omissis, quos nuperrima Parisiensis editio restituit; *Johannes Bugenhagius Pomeranus* eos unà cum libro contra gentiles, seorsim edidit Wittebergæ annô 1532. cum præfatione Lutheri, in qua hi libri Athanasio tribuuntur & commédantur.) In hac Pomerani editione p. 200. verba allata ita recitantur: *Verbum caro factum est, Non amisit quod fuerat, sed cœpit esse, quod non erat. Non demutatum Deum, sed semper manentem, verùm jam in hominem natum.* His gemina habet l. 9. paulò ante finem p. 191: *Verbum dicimus carnem sic factum, h. e. unigenitum Dei filium sic factum esse hominis filium, ut neutrô in alterum versô, sed utroq; in sua substantia permanente, sic Deus in homine pateretur humana, ut in seipso integra divina servaret, non ut conversione, aut mutabilitate aliquâ cœperit esse quod non erat, sed ut potentiâ divinæ dispensationis Verbum patris nunquam à patre discedens, homo propriè fieri dignaretur, incarnatusq; sit unigenitus secretô illo mysterio, quod ipse novit. Nostrum namq; est credere, illius nosse &c.* Totum fermè locum, quem suprà n. XIII. Theodoretus Augustino tribuebat, subjicit, & addit: *Caro igitur profecit in Verbum, non Verbum profecit in carnem. Verissimè ergo Verbum caro factum est, sed ut diximus, solùm propriè personaliter.* Et mox: *Qui cùm in forma Dei esset, non propter se, sed propter nos formam servi suscepit & semetipsum exinanivit. Quomodo exinanivit semetipsum? dum forma Dei formam servi accepit, dum principaliter dominus ea, quæ sunt famuli, dignanter assumsit, dumq; per indulgẽtiam & miserationem nostri, gerendo inferiora se videlicet vel agendo, Verbum caro factum exinanivit in persona, quod possedit in natura.* Similiter l. 3. p. 89. seq: *Animadverte* (hæreticum Marcellinum alloquitur) *causâ adsumti hominis dictum fuisse, ut cautum invenimus, formam Dei formam servi accepisse, sicut scriptum est,* Misit de summo & accepit me, assumsit me de multitudine aquarum. *Et alio in loco,*

Beatus

Beatus quem elegisti & assumsisti. *Nec non,* Dominus autem adsumsit me. *Numquid nam homo Deum assumsit, & non Deus hominem? Deus utiq; hominem, non homo Deum adsumsit. — Sed è diverso dicis mihi, Quemadmodum hominem Deus assumsit? Ignoras Esaiam prophetâsse,* Ecce Virgo &c. *Sed & Apostolus hæc confirmat, dicens, Formam Dei formam servi accepisse.* Hucusq; Athanasius in opere ad Theophilum, juxta editionem Wittebergensem. In exemplari Commeliniano Tom. 2. f. 249. extat sermo *adversus eos, qui malignè nobis objiciunt illud, Verbum caro factum est*, in quo egregiè hæc Johannis verba explicat & cum Pauli dictis à nobis allegatis eruditè confert. Nõnulla saltẽ excerpemus, & ad propositum facientia, quæ sequuntur: *Verbum caro factum est, interpretantur, Verbum in carnem conversum suscepit passionem. Quis non istam interpretationem horreat vesanam? — At mutationem aliquam factam esse in eo qui dicit,* Videte, videte, quia ego sum, & non mutor, *nullis colligere rationibus possumus. Quomodo igitur caro factus, mutatus autem non est? carni unitus est: sed in carnem non est commutatus. Quæ & causa est, cur in carne apparuisse, non caro apparuisse dicatur: Et,* Semen Abrahæ assumsit, *inquit Apostolus, non, semen Abrahæ immutatus, factus est: Et,* Templum habuit corpus, *non, in templum conversus est: Et,* Cùm in forma Dei esset, formam servi assumsit, *non, forma servi factus est. Quòd si quis est contentiosus, qui neglecto pio sensu, syllabis mavult adhærere (δουλέυειν ταῖς συλλαβαῖς ἄνευ διανοίας εὐσεβοῦς,) quàm quid Deo conveniat considerare, omnibusq; inde ea, quæ minimè decet, petenda censet: noverit ille, se aut multò sapientiorem esse, suô judiciô, Spiritûs S. gratiâ, nec admittere profectam inde legis sanctionem, quæ tot sacris, quæ paulò antè commemoratæ sunt, vocibus verbi nobis vim ac sensum liquidò explanat: aut audacter bellum sacris oraculis movere, & dogmata sancta contrarietatis nomine condemnare, si modò dicta ista inter se pugnant;* Caro factum est, *Et,* Formam servi assumsit. *Sed apage perversè! Nec enim mutatur divinitas, nec secum pugnat*

 Scriptura

Scriptura sacra. Hæc enim auditori veritatis cupido semetipsum interpretatur: comprehendi tota facilè potest, tota sententiis congruit. Quem igitur nos pium tuemur sensum; eum sacer nobis codex suggerit. Voce autem, Factum est, *Evangelista est usus*, οὐχ ἵνα τοῦ θεοῦ Λόγου τροπὴν ἐννοήσωμεν, ἀλλ' ἵνα τὴν ἄκραν ἕνωσιν οὕτω καταvοήσωμεν, *non ut de Verbi divini conversione cogitaremus, sed ut arctissimam inde unionem cognosceremus* &c. Hinc porrò explicat & confert verbum ἐγένετο per illum Apostoli locum: *Eum, qui non novit peccatum, pro nobis peccatum fecit*, 2. Cor. V, ult. quod in epistola ad Epictetum Tom. I. f. 458. explicaverat per alium ejusdem Apostoli: *Christus pro nobis factus est execratio*, Gal. III, 13. quæ videri possunt. Hactenus ergo habuimus Athanasium nobiscum consentientem, *sanctissimum illum virum* (sunt verba in citata præfat.) *qui, ut articulus de Trinitate purus & integer in Ecclesia Dei servetur, non dubitavit in se derivare, quidquid erat furiarum, in inferno, mundo, & toto imperio diaboli*: Cujus proinde expositionem nemo nisi φιλονεικῶν καὶ δοῦλος τῶν συλλαβῶν ἄνευ διανοίας ἀσεβοῦς repudiabit.

XXVIII. Athanasio jungamus *Cyrillum*, in Alexandrino Episcopatu successorem, quem Anastasius Sinaita in hodog. c. 7. vocat σφραγῖδα τῆς πίστεως τῶν πατέρων, quemque Leo Imperator constit. 88. Athanasio, Basilio, Nazianzeno, Nysseno & Chrysostomo præclaris facinoribus gloriáq; parem esse, asserit, ut alias hujus viri laudes & res gestas taceamus. Ille autem in expositione Symboli Nicæni Tom. 4. f. 225. *Dei Patris*, inquit, *Verbum factum est homo: non relinquens autem esse, quod erat: mansit enim in humanitate Deus, & in servi forma Dominus, & in exinanitione simili nobis plenitudinem habens divinitatis* &c. *Factum autem est caro non secundùm translationem, vel conversionem, vel commutationem, transformatione factâ in carnis naturam.* &c. Item l. de incarnatione Unigeniti c. 11. f. 242: *Quod verò Verbum cùm esset Deus factum sit homo, & non magis homo deificatus, intelligitur Christus,*

Christus, etiam ex sacris literis enitar ostendere. *Ait igitur B Paulus de unigenito*: *Qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, ut esset æqualis Deo, sed se exinanivit formam servi accipiens* &c. postmodum allegat dictum Hebr. II, 16. & 14. Videatur & c. 24. totum, f, 251. seqq. & alibi. Cyrillo adstipulatur adversarius cœtera *Theodoretus*, à Concilio Chalcedonensi œcumenico, explorata ipsius orthodoxiâ, inter Catholicos doctores admissus; in reprehensione anathematismi primi ejusdẽ Cyrilli, Tom. 4. f. 707. *Nos, quicunq; voces Evangelicas sequimur, non carnem naturaliter factum, neq; in carnem conversum Deum Verbum dicimus: inconvertibilis est enim, immutabilisq; divinitas: unde & Propheta David dicit:* Tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient. *Quod Paulus magnus veritatis præco de Filio dictum, in epistola ad Hebræos docuit.* Et *alibi per Prophetam ait Deus*: Ego sum, & non mutor. *Si igitur inconvertibilis est immutabilisq; divinitas, conversionis & mutabilitatis non est capax. Si a. impossibile est converti inconvertibilem, non est factum caro Deus Verbum, ita ut sit conversum, sed assumsit carnem, & inhabitavit in nobis, secundùm Evangelicam vocẽ. Et hoc explicans sacratissimus Paulus in epistola ad Philippenses ait:* Hoc sentite in vobis, quod & in Christo Jesu, qui cùm in forma Dei esset, non rapinã arbitratus est esse se æqualẽ Deo: sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens. *Palam igitur est ex his quæ dicta sunt, quia Dei forma mutata non est in servi formam; sed manens quod erat, assumsit formam servi. Igitur non est factum caro* (sc. per conversionem) *Deus Verbum, sed carnem viventem & ratione præditam assumsit.* Et in fine: *Ergo infans Emanuel dicitur propter assumentem Deum, & Dei genitrix Virgo propter unitionem formæ Dei ad conceptam servi formam. Non enim in carnem Deus Verbum conversum est; sed Dei forma assumsit servi formam.* Hæc Theodoretus, in quibus per omnia consentit Cyrillus in antithesi sua, l. ad Evoptium f. 191. Conferatur etiam Theodoreti dialogus primus, ἄτρεπτος, *mutabilis* dictus, non procul ab initio f. 6. seqq.

seqq. ubi nostra Johannis verba ex citato Pauli ad Hebr. loco multis illustrat.

XXIX. Plura testimonia Græcorum patrum, brevitatis studiô, omittimus, sicuti & Latinorum, Hilarii scilicet, Augustini, Leonis M., Vigilii, Fulgentii, & aliorum, qui omnes in explicatione & comparatione horum Scripturæ locorum unanimiter cōsentiunt: quorum sanè consensum altô superciliô contemnere nec possumus, nec debemus. *Ne* enim *vel nova dogmata fingere,* (sunt verba nostri Chemnitii l. de duab. nat. c.19. p. 247.) *vel peregrinam sententiam Scripturæ testimoniis affingere videamur, neve in difficillima hac controversia, incauti à regia veritatis via, in diversas partes deflectamus, illam rationem, quæ omnium & simplicissima & tutissima est, sequemur, ut scilicet ante omnia expressa & perspicua Scripturæ testimonia nobis proponamus, deinde vetustissimos & probatissimos primitivæ Ecclesiæ scriptores, in consilium adhibeamus, ut illi significatione sui judicii nos erudiant & confirment, quomodo scilicet ipsi veram & sanam de hac parte doctrinæ sententiam, veteri Ecclesiæ, ex verbo Dei tradiderint & explicârint: à quibus etiam erroribus, à quibus phanaticis & falsis opinionibus, veram sententiam in hac parte doctrinæ segregârint.* — *Illos n. cùm summis donis præditi essent, & certaminibus gravissimis exercerentur, diligentiùs scripturæ testimonia considerâsse, & accuratiùs de his mysteriis locutos esse, non est dubium, cùm quidem aures illorum, Apostolicæ antiquitatis testimoniis, adhuc quasi personarent.* Hanc simplicissimam & tutissimam viam omnes γνησίως orthodoxi, & quotquot nostris ecclesiis benè cupivére, prompti semper calcârunt, atq; eô ipsô *publicum testimonium* tulerunt, (iterum sequuntur verba Chemnitii c. 23. p. 322.) *nos in nostris ecclesiis, in explicatione hujus doctrinæ, non nova gignere paradoxa, nec novas, monstrosas, peregrinas, periculosas aut scandalosas phrases aut formas loquendi in ecclesiam invehere; sed veteris ac orthodoxæ ecclesiæ sententiam & linguam reverenter & religiosè nos imitari.* Quò etiam nostros libros

bros symbolicos semper respexisse, ex illorum inspectione tam evidens est, quàm quod evidentissimum esse potest. Sed quò dilabor? è diverticulo in viam redeamus, atq; veterum patrum testimoniis nonnulla quoq; nostratium Theologorum annectamus, ne extra hos aliquid statuere videamur.

XXX. *Chemnitius* suorum verborum & consilii memor, l. c. cap. 5. p. 60. edit. Lips. ita scribit: *Phrasin illam (Verbum caro factum est) Spiritus S. ipse explicat, non per conversionem vel confusionem, sed per assumtionem, Phil. 2: Qui in forma Dei erat, formam servi ἔλαβε. Et Hebr. 2: Filius Dei semen Abrahæ ἐπιλαμβάνει). Item: particeps factus est carnis & sanguinis.* Ibidem paulò inferius p. 63: *Non humana natura assumsit divinam: nec homo assumsit Deum: nec persona divina assumsit personam humanam: sed natura divina τοῦ λόγου, seu Deus λόγος, seu persona Filii Dei, subsistens ab æterno in divina natura, assumsit in plenitudine temporis certam massam humanæ naturæ. Ut ita sit in Christo natura assumens, scilicet divina; & natura assumta, scilicet humana. Joh. I: Verbum caro factum est. Rom. I. & Gal. IV: Filius Dei factus seu natus est ex semine David, ex muliere. Phil. II: Qui in forma Dei erat, assumsit formam servi.* Et cap. 9. p. 109: *Non ita Verbum factum est caro, ut vel natura humana in divinam, vel natura divina mutaretur seu converteretur in substantiam carnis. Christus enim etiam post incarnationem est & manet simul verus Deus & verus homo. Conferendæ igitur sunt declarationes in Scriptura traditæ, quomodo λόγος doceatur & credatur factus esse caro. Et Paulus quidem vocabulum γενόμενος retinuit, ut quasi digitò monstraret declarationem ejus, quod Johannes scripserat: Verbum caro ἐγένετο, ut Rom. I: Filius Dei γενόμενος, factus seu natus ex semine David. Gal. IV: Cùm venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum γενόμενον, factum seu natum ex muliere. Phil. II: Cùm in forma Dei existeret, γενόμενος, factus est in similitudine hominum. Ibi verò Paulus clarissimè explicat participium γενόμενον, cùm inquit: λαβὼν, formam servi accipiens, factus est in similitudi-*

litudine hominum. Omnium verò clarissimè verbum ἐγένετο, quô Johannes utitur in sententia illa (Verbum caro factum est) explicatur Hebr. 2. per tria significantissima vocabula. &c. Hæc ex libro de duabus naturis in Christo. Idem scripsit *Notationes ad Theses quasdam de unione duarum naturarum in Christo hypostatica, à clancularios Sacramentariorum patronis sparsas*, ubi hæc habet: *Pugnat hæc doctrina* (quòd non divina natura seu essentia in Filio Dei, sed sola ejus hypostasis unita est humanæ naturæ) *cum tota orthodoxa antiquitate, quam aliàs disputatores illi vix per transennam sibi conspectam, gloriosè jactare solent.* Hinc citat patrum testimonia, & inter illa approbat istud Augustini: *Illa natura, quæ ex patre genita est, nostram naturam sine peccato suscepit, Et forma Dei formam servi accepit;* ut ita, judiciô Chemnitii, hæ locutiones, Natura Filii Dei suscepit humanam; &, Forma Dei accepit formam servi, æquivaleant. Denique in Propositionibus, *de persona & beneficiis Filii Dei*, de quibus publicè, pro gradu Doctoris in Theologia, disputavit Rostochii anno 1568. 28. Jun. propositione XXIII. sic loquitur: *Sunt autem hæc testimonia Scripturæ præcipua, quæ fontes & fundamenta doctrinæ de unione duarum in Christo naturarum personali continent: Joh. I. Ebræ. II. Phil. II.* Hactenus Martinus Chemnitius, qui titulum *incomparabilis Theologi* apud nostros solus meruit, & præcipuus autor Formulæ Concordiæ & Corporis nostri Prutenici fuit.

XXXI. Chemnitium, ut solet, sequitur *Nicolaus Selneccerus*, Theol. D. & Prof. Lipsensis, *genuinus* (judice ipsius successore, D. Hülsemannô, dial. apol. p. 318.) *Lutheri discipulus*, in Exegesi Symbolorum, edita Lipsiæ annô 1577. p. 195. seqq. ubi de unione hypostatica tractans citat & explicat hæc Scripturæ dicta, quæ de illa loquuntur: Joh. I, 14. Col. II, 9. & Phil. II, 6. seq. & inter cætera p. 215. phrasin Pauli, μορφὴν δούλου λαβὼν *formã servi accipiens*, exponit per ἄνθρωπος ἐγένετο, *homo factus est*, quod Johannes nobis efferebat per σὰρξ ἐγένετο, *caro factum est.* Eandem explicatio-

nem

nem phraseos *formæ servi* tribuit p.324. suis præceptoribus Wit-
tebergensibus, & nominetenus D.D. Majori. Et in Repetitio-
ne doctrinæ de idiomatum communicatione, Lipsiæ annô 1581.
excusa, pag.23. seq. recitat viginti æquipollentes Ecclesiæ phrases,
inter quas prima hæc est: *Divina essentia* τοῦ λόγου *assumsit huma-
nam naturam.* Octava: *Logos, Deus, Filius Dei, homo factus est; se-
cundùm illud: Verbum caro factum est.* Nona: *Una persona ex
Trinitate, i.e. Dei Filius, humanam naturam sibi personali unione co-
pulavit.* Quinta decima: *Forma Dei formam servi accepit.* Ex qui-
bus, Selneccerum Chemnitii explicationem & dictorum Joh. I.
& Phil. II. collationem accuratè imitari, ad oculum apparet.

XXXII. Huic Theologorum bigæ tertium adhuc sociemus
planè ὁμόψηφον. Is est *David Chytraus*, D. & Professor primùm
Wittebergensis, postea Rostochiensis, qui ob pietatis & concor-
diæ ecclesiasticæ studium, & excellentissimam historiarum co-
gnitionem, à Regibus & Principibus, ad constituendas in suis di-
tionibus Scholas & Ecclesias, sæpe evocatus fuit: *cui post Philip-
pum Melanchthonem neq; terra tulit, neq; sol hic aspexit similem, &
cujus vel in remp. literarum, vel in Ecclesiam Christi merita, non ex-
tant plura vel majora;* quibus & multò pluribus laudibus eum
nomine Academiæ Rostochiensis prosequitur Facultatis Theo-
logicæ Decanus in programmate exequiali, Orationum Chytræi
volumini addito p.742. Is, inquam, in Explicatione Symboli
Apostolici, Wittebergæ annò 1584. excusa, explicans dictum Jo-
hannis, inter alia sic commentatur p. 44. seqq: *Tertia vox, FA-
CTUM EST,* ἐγένετο, *usurpatur & declaratur à Paulo Rom. I: de fi-
lio suo,* γενόμενος, *qui natus est ex semine David secundùm carnem.*—
Gal. 4: misit Deus filium suum γενόμενον, *natum ex muliere. Phil. II:
formam servi assumsit,* ἐν ὁμοιώματι ἀνθρώπων γενόμενος. — *Maximè
autem illustris declaratio est concio epistolæ ad Ebræos II.* — *Ex hoc
dicto phrasis, quâ usitatè de mysterio incarnationis Filium Dei AS-
SUMPSISSE humanam naturam dicimus, sumta est, quâ Paulus*

etiam

etiam Phil. II. utitur. —— *Quod verò Paulus Phil. II. Ebr. II. assumere semen Abrahæ, & Johannes carnem fieri, id I. Joh. IV. in carnem venire nominat, & I. Tim. IV. manifestare in carne.* Eandem dictorum Phil. II. & Ebr. II. mutuam collationem instituit in Dispositione epistolarum dominicalium, itidem Wittebergæ an. 1563. publicis typis exscriptâ, p. 165: *Humiliavit & demisit se, ita ut formam servi, h. e. formam substantialem hominis, seu veram naturam humanam, corpus & animam, assumeret. Nominatur a. servus, & propter assumtionem naturæ hominis, obnoxiæ morti & aliis ærumnis; & propter ministerium docendi & patiendi.* —— *Meminerint etiam juniores, usitatissimam Ecclesiæ phrasin, quâ Filium assumsisse naturam humanam dicimus, ex hoc Pauli loco* (Phil. II.) *depromtam esse, & Ebræ. II: Non n. angelos, sed semen Abrahæ assumsit, i.e. non angelicam naturam, sed humanam ex posteris Abrahæ sibi copulavit.* Hæc etiam Chytræus. Plures non addo: neq; verò addere juvaret, si hi tres, omnes Lutheri & Melanchthonis germani discipuli, & Formulæ Concordiæ principes autores, assensum atq; fidem non merentur. Quibus tamen adhuc volupe est, ex postillatoribus videatur *D. Joh. Habermannus*, vel ob solum devotissimarum precationum manuale cōmendatissimus, in Postilla Germ. epistol. Dominicâ Palm. part. I. p. 228. b. edit. Witteberg. 1600.

XXXIII. Patet ergo, omnium veterum patrum & præstantissimorum nostrorum Theologorum consentiente explicatione, Verbum ita carnem factum esse, ut formam servi & semen Abrahæ, sive humanam naturam, assumeret tantùm; non ut illud in hanc, aut hæc in istud transmutaretur. Unde deniq; hoc etiam facilè patet, an ita Verbum factum sit caro, ut persona Verbi assumserit personam hominis, an ut natura divina naturam humanam, an ut natura divina personam humanam, an denique ita ut persona divina assumserit naturam humanam, quemadmodum has quadruplices de Christi incarnatione enunciationes proponit seculô XII. *Petrus Lombardus*, Parisiensis Episcopus

& sen-

& ſententiarum Magiſter, l. 3. diſt. 5. lit. A. Quamvis enim vetuſti patres non adeò ſollicitè ſemper loquuti ſunt, & nonnunquam nomina perſonæ pro naturarum, & contrà nomina naturarum pro perſonæ nominibus uſurpârunt, ſicuti ex hujusmodi eorum locutionibus (*Deus aſſumſit hominem; Homo adſumtus eſt in Deũ; Natura divina aſſumſit humanam; Forma Dei accepit formam ſervi,* & ſimilibus) apparet, & levi negociò monſtrari poſſet: certum tamen eſt, quòd nec perſona perſonam, nec propriè natura naturam, nec natura perſonam; ſed perſona aſſumſit naturam.

XXXIV. Primum ita liquet. Si enim perſona aſſumſiſſet perſonam, duæ in Chriſto conſtituerentur perſonæ: quod eſt aperta hæreſis Neſtorii. Neq; ſecundum propriè dici poteſt: quia enim, docente *Thomâ de Aquino* part. 3. quæſt. 3. art. 1. vox aſſumtionis duo importat, principium ſcilicet ipſius actionis, & ejusdem terminum; eſſe quidem principium aſſumtionis convenit naturæ divinæ in ſeipſa conſideratæ, ſiquidem hujus omnipotentia illam adſumtionem operata eſt: at eſſe terminum illius actûs non convenit ei, prout in ſeipſa, ſed ut in perſona ea, quæ aſſumſit, ſpectatur: unde primariò & propriè perſona dicitur aſſumere naturã; ſecundariò a. & impropriè etiam natura aſſumſiſſe naturã in ſuã hypoſtaſin & perſonalitatẽ dici poteſt. Tertii falſitas ex primo & ſecundo evidenter colligitur. Reſtat itaq; ut dicamus, perſonam Verbi ſeu Filii Dei adſumſiſſe humanam naturam, eiq; ſuã ſubſiſtentiã allargitã eſſe. Atq; hoc eſt quod viciſſim Paulus in claſſico illo dicto Phil. II, 6. & 7. inculcat: *Qui cùm in forma Dei eſſet,* (en perſonam Filii Dei aſſumentem!) *non rapinã arbitratus eſt, eſſe æqualem Deo; ſed ſemetipſum exinanivit, formam ſervi accipiens* (ecce humanam naturam aſſumtam!) Appoſitè iterum *S. Thomas* in comment. h. l. ſcribit: *Cur dicitur convenientius FORMAM SERVI, quàm SERVUM? Quia ſervus eſt nomen hypoſtaſis vel ſuppoſiti, quod non eſt aſſumtum, ſed natura: quod n. ſuſcipitur, diſtinguitur à ſuſcipiente. Non ergo Filius Dei adſumſit hominem: quia*

daretur

daretur intelligi, quòd homo esset aliud à Filio Dei, cùm tamen Filius Dei factus sit homo. Accepit ergo naturam in persona sua, ut esset idẽ in persona Filius Dei & Filius hominis. Hæc ille.

XXXV. Summa hactenus disputatorum tota huc redit, ut cum sancta, catholica & apostolica Ecclesia statuamus, unionem duarum naturarum in Christo factam esse ad unam Verbi hypostasin seu personam, adeoq; illam unionem esse hypostaticam sive personalem. Ita ut vi hujus unionis jam sit *unus Dominus Jesus Christus, per quẽ omnia & nos per ipsũ*, I. Cor. VIII, 6. *Unus Christus, qui pro omnibus mortuus est*, II. Cor. V, 14. *Unus mediator Dei & hominum, homo Christus Jesus, qui dedit redemtionem semetipsum pro omnibus*, I. Tim. II, 5. 6. Ex quibus locis rectè sic inferri potest: Christus est unus, ergo vel per unam naturam, vel per unã personam. Ast non per unam naturam: duas n. in eo naturas aliunde jam supposuimus. Ergo per unam personam. Ideoq; duarum in Christo naturarum una est persona, & per consequens naturæ personaliter sunt unitæ, sive unio naturarum est personalis.

XXXVI. Hanc hypostaticam unionem quibus similitudinibus pia antiquitas eleganter illustraverit, quæ item consecuta fuerit gemina communicatio, videlicet naturarum & proprietatum; aliis dissertationibus reservamus, &, quod adhuc superest, ex dictis tali concludimus definitione: Unio duarum naturarum in Christo est conjunctio humanæ naturæ ad personam Filii Dei, facta absq; omni naturarum conversione, ita ut nunc una sit persona θεάνθρωπος, Deus & homo.

SOLI DEO GLORIA.